MATERIAE

AD COGNITIONEM SUBFAMILIÆ *PACHYCEPHALINI*

(Lybantini olim.)

Ex Hemipteris-Heteropteris, Fam. *Coreidae*.

Auctore Gustave BREDDIN.

SYNOPSIS GENERUM MIHI COGNITORUM.

a. Angulis humeralibus dente distincto haud armatis. Capite basi plus minusve distincte constricto. Corpore raro villoso.

b. Segmento septimo vero (1) ventrali in femina usque ad basin fisso, plica destituto; capitis lateribus supra ante oculos spinula sursum vergente armatis. *Pachycolpura* Breddin.

bb. Segmento septimo ventrali in femina vel integro vel apice tantum fisso (in hoc casu plica distincta instructo). Capitis marginibus supra inermibus.

c. Segmento septimo ventrali in femina integro.

d. Capitis parte ante scrobes antennales protuberante parva; genis spina acutissima extrorsum vergente, tyli apice spina longiore subreflexa armatis. Bucculis dente acutangulari armatis. Capitis parte pone scrobes antennales sita plus minus lata, plerumque distincte transversa. Tibiis plus minusve sulcatis.

e. Capitis parte pone scrobes antennales et inter oculos sita distinctissime transversa. Oculis postice fere omnino liberis; tuberculis postocularibus parvis, vix ullis. Tibiis omnibus distincte sulcatis. Corpore elongato, subæquilato.

f. Femoribus subtus inermibus. Segmento genitali maris disco spina acutissima erecta armato. *Acanthotyla* Stål.

ff. Femoribus subtus apicem versus spinis armatis. Segmento genitali maris disco inermi. *Agathyrna* Stål.

ee. Capitis parte pone scrobes antennales et inter oculos sita vix

(1) Segmenta abdominalia abhinc aliter numero atque Stålius plurimique auctores. Segmentorum « secundum » verum dico, quod illi nominant « primum ». Cf. Handlirsch, *Verh. zool.-bot. Ges. Wien*, 1899, XLIX, p. 502.

transversa, fere quadrata (1). Oculis postice tuberculo postoculari distincte suffultis. Tibiis obsolete sulcatis. Corpore subovali, crasso. *Brachylybas* Stål (2).

dd. Capitis parte ante scrobes antennales protuberante mediocri ; genis tylique apice inermibus. Capite quam latitudine frontis cum oculis plerumque longiore. Bucculis apertangularibus, dente acuto haud armatis.

g. Valvulis vulvariis feminæ parvis, in eodem plano subverticali jacentibus. Corpore læte fulvo. Tibiis sulco destitutis. *Xanthocolpura* n. gen.

gg. Valvulis vulvariis mediocribus, tectiformiter positis. Corpore saltem supra plus minusve obscure colorato.

h. Tuberculis antennalibus sextus spinula acutissima armatis. Tibiis haud sulcatis. *Acantholybas* Bred.

hh. Tuberculis antennalibus extus inermibus. Tibiis (saltem in speciebus mihi cognitis) distincte sulcatis. *Sciophyrus* Stål.

cc. Segmento septimo ventrali in femina apice fisso, plica instructo.

i. Corpore opaco, pilis coloratis squamiformibus vestito. Femoribus inermibus vel raro spinulis nonnullis minutis armatis. Bucculis plus minusve alte elevatis.

k. Bucculis distinctissime angulatis.

l. Membrana venis plus minusve regularibus instructa.

m. Hemelytris raro nonnihil decurtatis, sutura clavali tamen semper distincta. Ocellis nunquam deficientibus. *Colpura* Bergr.

mm. Hemelytris valde decurtatis ; corio clavoque omnino connatis : sutura clavali nulla. Ocellis deficientibus. *Typhlocolpura* n. gen. (3)

ll. Membrana reticulata. *Pachycephalus* Uhler.

kk. Bucculis rotundatis. Hemelytris abbreviatis. *Lygaeopharus* Stål.

ii. Corpore nitidulo, pilis coloratis squamiformibus destituto. Femoribus subtus apicem versus spinis distinctis coacervatis, nonnunquam præterea spinulis parvis per totam longitudinem dispositis armatis. Bucculis parum elevatis, elongatis, rotundatis. Rostro longissimo. Antennarum articulo capite multo breviore. *Homalocolpura* Bred.

(1) Rotulam collarem capitis in enumerandis capitis dimensionibus semper excipio.

(2) Diagnosis sec. *B. marmoratum* Bred. facta, species typica *B. variegatus* Le Guillou mihi incognita.

(3) Unica species:

T. decoratula n. spec.

Corpore toto supra horizontaliter plano, ferrugineo-fusco ; antennis rostro pedibusque dilutioribus. Pronoto sat anguste trapezoideo, abdomine multo angustiore. Rostro basin ventris parum superante. Membrana rudimentaria, laete eburnea. — Long. corp., 10 1/2-12 1/2 mill. — Célèbes.

aa. Angulis humeralibus dente distincto armatis. Capite basi haud vel obsoletissime constricto: tuberculis postocularibus nullis vel omnino obsoletis. Corpore longe flavo-villoso. (Femina mihi incognita). *Tachycolpura* n. gen.

Xanthocolpura n. gen.

Capite minusculo et breviusculo, latitudine frontis cum oculis breviore, basi pone tuberculos postoculares distinctos constricto, parte pone scrobes antennales et intra oculos sita subquadrata; genis apiceque tyli inermibus; antennarum articulo primo crassiusculo, capiti æquilongo. Humeris rotundatis. Hemelytris completis; membranæ venis numerosis. Angulis apicalibus segmentorum connexivalium haud prominulis. Bucculis distincte apertangularibus. Rostro coxas posticas haud superante; articulo primo basin capitis attingente. Pedibus brevibus; femoribus inermibus; tibiis teretibus. Segmento ventrali septimo vero in femina haud fisso plicaque destituto, medio quam latera versus haud longiore. *Valvulis vulvariis* parvis *in eodem plano* transverso et subverticali *jacentibus* (nec tectiformiter positis). Insectum totum sabulicolor, fusco-punctatum, opacum.

Genus *Sciophyro* Stål proximum, structura segmenti ventralis septimi partiumque genitalium femininarum, tibiis haud sulcatis, capite distincte breviore aliisque notis facile distinguitur.

X. venosa n. spec.

Corpore elongato-oblongo, pone humeros (in femina) subæquilato, cum antennis pedibusque dense breviterque griseo-piloso. Capite frontis latitudini cum singulo oculo æquilongo pronotoque fere duplo breviore. Pronoto latitudine sua humerali valde breviore (2 : 3), antrorsum modice declivo, vix convexiusculo, ante medium transversaliter obsoletissime depressiusculo; humeris late rotundatis et haud prominulis; marginibus antero-lateralibus fere rectis (circa medium leviter lateque sinuatis, pone sinum rectis, ante sinum levissime rotundatulis); ruga marginali distinctissima, antice paulo magis quam postice elevata ibique in angulum apertum obsolete prominula, sursum haud vel levissime reflexa et a supero vix distinguenda; margine postico truncato vel subsinuato-truncato. Scutelli basi utrinque impressione punctiformi nigra instructa. Hemelytris apicem abdominis attingentibus; clavo corioque æqualiter (hujus etiam parte interiore distinctissime) punctato, venis

omnibus glabris, subelevatis; membranæ venis nonnunquam furcatis et hic illicve areolas complectentibus. Abdomine latitudine humerali haud multo latiore. Rostri articulis apicalibus duobus æquilongis; tertio secundo paulo breviore; hoc et primo subæquilongis. Antennis præter articulum basalem in specimine descripto mutilatis.

Sordide fulva, dense piceo vel nigro-punctata. Ruga marginali pronoti in parte cicatricali, scutelli lituris irregularibus marmoreis discalibus apiceque, clavi coriique venis omnibus cum marginibus rimulæ et linea apicali corii suturam membranalem sequente, maculis apicalibus segmentorum connexivalium earumdemque etiam limbo exteriore (supra angustissimo, subtus sat lato) *dilutioribus*. Segmentorum connexivalium parte majore basali supra, sternis, ventris maculis lateralibus glanduliferis squamisque vulvariis feminæ *nigris*. Rostri articulis secundo tertioque picescentibus. Membrana dilute subochraceo-fusca; basi transversaliter (usque ad venam transversam subbasalem) læte ochraceo-flava.

♀. Squamis vulvariis subplanis; margine interiore vaginali distincte elevato.

Long. corp., 11 1/2 mill.; lat. hum., 4; lat. max. abd., 4 1/3 mill.

Balabac insula prope Borneo (*Mus. Nation. Hungar.*) (1).

Acantholybas (2) **longulus** Breddin.

Genis inermibus. Femorum posticorum annulo umbrisque annulorum in femoribus anticis in aliis speciminibus, quæ examinavi, deficientibus. Dorso abdominis sæpe cermesino-nigro.

♀. Abdomine humeris distincte latiore; hemelytris decurtatis segmentumque dorsale sextum verum haud omnino attingentibus. Segmento ventrali septimo vero (ut jam suspicatus eram *Hem. ins. Lombok*, p. 16) integro, medio retrorsum leviter rotundato-producto ibique quam latera versus distincte longiore. Corpore in specimine unico feminino, quod vidi, quam in maribus mihi cognitis nonnihil dilutiore (supra sordide ochraceo-brunneo). Femoribus (basibus lutescentibus exceptis) tibiisque sordide ferrugineis, haud annulatis; his apicem versus cum tarsis infuscatis.

(1) Hanc speciem nonnullasque alias hic descriptas benigne mihi commisit D. Horvath

(2) *Acanthocolpura* m. (*Entom. Nachr.*, 1900, XXVI, p. 40) = *Acantholybas* m. (*Hem. ins. Lombok*, p. 15).

Sciophyrus sulcicrus n. spec.

Corpore elongato, circa humeros rotundatos atque haud prominentes latissimo, dein retrorsum (præsertim in femina) subangustato. Capite quam in speciebus mihi cognitis paulo longiore atque graciliore, latitudine frontis cum oculis distincte longiore; tylo apice tuberculo conico leviter reflexo armato. Pronoto longitudine sua nonnihil breviore (3 : 4), antrorsum graciliter angustato anticeque quam inter humeros multo angustiore (2 : 5); marginibus lateralibus ante medium leviter lateque sinuatis, pone sinum subrectis, ante sinum levissime rotundatis; ruga marginali distinctissime elevata, haud tamen vel quam obsoletissime sursum reflexa neque a supero distinguenda, antice in angulum apertum brevissime prominula. Pronoti disco modice convexo, longe ante medium transversaliter distincte depresso; parte cicatricali convexiuscula medio scrobe punctiformi notata. Scutello latitudine sua basali distinctissime longiore (4 : 3) pone medium depresso carinaque mediana instructo. Hemelytris apicem abdominis attingentibus, corio præsertim intus sparsissime, minutissime et obsoletissime punctato apicem versus omnino impunctato. Angulis apicalibus segmentorum connexivalium sexti veri et septimi libere prominulis, rectangularibus. Rostro segmenti ventralis quarti veri basin attingente vel subsuperante; articulis inter se subæquilongis, primo secundo paulo breviore. Femoribus subtus granulis minutis acutis setiferis sat remotis biseriatim positis armatis; tibiis supra dinctinctissime sulcatis. Antennarum articulo primo capiti æquilongo; articulo secundo gracili, primo multo longiore (3 : 2) (reliqui articuli mutilati).

Nigro-fuscus, ventris disco toto pleurorumque plagis incertis obsolete ferrugineo-flavo-marmoratis, nigro-punctulatis. Lineolis pronoti discalibus tribus vel quinque decurtatis, retrorsum divergentibus et raro obsoletis, fasciolis angustis apicalibus segmentorum connexivalium supra subtusque, annulis duobus tibiarum (altera latiore fere mediana, altera angustiore subbasali), articulis tarsalibus basin versus rostrique articulis duobus apicalibus *ferrugineo-flavis*. Callo postoculari capitis supra, ima extremitate humerali rugæ marginalis pronoti scutellique apice *luteo-albis*. Antennarum articulo secundo plus minusve dilute piceo. Membrana fumigato-fusca, inter venas dilutiore. Femoribus raro vestigia annuli postmediani in maculas irregulares dissoluti exhibentibus.

♂. Segmento genitali transversaliter convexo, parum oblique sursum prominente; parte apicali valde sinuato-angustata, medio in dentes duos acuminatos juxtapositos exeunte; his dentibus excisura minuscula rectangulari, quam diametro tibiarum posticarum minus profunda separatis.

♀. Segmento ventrali septimo vero medio retrorsum sublobiformiter producto; valvulis vulvariis a latere visis in angulum acutum distinctissimum valde prominentibus anumque nonnihil superantibus.

Long. corp., 12 3/4-15 mill.; lat. hum., 4 1/2-5 mill.

Nova Guinea (coll. mea).

Sc. **Horvathi** n. sp.

(Fig. 3).

Corpore elongato-ovato, abdomine in utroque sexu humeris nonnihil latiore. Capite frontis latitudini cum oculis æquilongo, pronoto valde breviore (2: 3). Pronoto trapezoideo, antrorsum graciliter angustato; humeris haud prominentibus lateque rotundatis; marginibus antero-lateralibus leviter lateque subinciso-sinuatis, pone sinum rectis, ante sinum levissime rotundatulis; ruga marginali distinctissime elevata, antice tamen haud magis quam postice ibique in angulum nisi obtusissimum haud prominula, sursum leviter angusteque reflexa et a supero distinguenda. Disco pronoti modice convexo; parte cicatricali levissime convexiuscula postice impressione trisinuata terminata, circa medium punctis duobus (in mare) vel lineolis duabus longitudinalibus subparallelis (in femina) impressis notata. Scutello pone medium depresso carinaque mediana instructo. Hemelytris apicem abdominis attingentibus; corio (area costali excepta) sparsim, minute atque obsolete punctato, parte tota apicali omnino impunctata; membranæ venis modice numerosis, simplicibus vel raro furcatis, in areolas haud coeuntibus. Angulo apicali segmenti connexivalis sexti veri haud vel levissime prominulo. Antennis sat gracilibus; articulo primo cum capite æquilongo; tertio iterum cum primo æquilongo, articulo quarto vix longiore. Rostro apicem segmenti ventralis quarti veri attingente; articulis subæquilongis. Femoribus subtus præter granula pauca setifera biseriata inermibus; tibiis supra distinctissime sulcatis.

Obscure piceus, pilulis brevissimis adpressis griseis consitus. Corpore inferiore plus minusve læte *ferrugineo-fulvo*; punctis piceis in ventre in nebulas vel maculas minutas numerosas, in pleuris circa acetabulorum basin in maculas utrinque ternas et in capite inferiore in vittas indistinctas duas vel quatuor coacervatis. Scutello (basi et disco mediis exceptis) pronotique tota parte antehumerali (regione cicatricali excepta) plus minusve læte *albido-*

lutescentibus, nigro-punctatis; hac regione cicatricali fuscescenti, lineis quibusdam impressis nigris notata. Tylo, frontis vittula utrinque laterali oculos tangente tuberculisque postocularibus, pronoti marginibus antero-lateralibus angustis (ante humerum nonnunquam subinterruptis), scutelli apice, basibus venæ principalis corii costæque, fasciolis apicalibus segmentorum connexivalium supra (subtus obsoletius) callulisque apicalibus apparatus evaporativi *albido-luteis*. Connexivo supra nigro, infra fulvo, impunctato. Impressionibus glanduliferis lateralibus ventris intus nigris. Antennarum articulo primo piceo, basi dilutiore; articulis secundo tertioque sordide ferruginescentibus (illo dilutius, hoc obscurius) basique albidis; articulo quarto toto nigro, parte basali sexta vel quinta glabra, parte reliqua albido-tomentosa et pilosa. Rostro femoribusque piceo-nigris, tibiis tarsisque nonnihil dilutius picescentibus; rostri articulo primo luteo-flavo, articuloque quarto dilute picescenti vel sordide flavescenti. Coxarum margine apicali, trochanteribus, femorum annulis binis (altero subbasali, altero postmediano), tibiarum annulis item binis articulorumque tarsalium basibus læte luteis. Membrana fumigato-grisea, inter venos nonnihil dilutiore. Dorso abdominis sordide sanguineo. Meso- et metasterno vel (in specimine masculino) nigricantibus, vel (in femina) pulchre croceis.

♂. Segmento genitali (fig. 3) transversaliter convexo, in dentes duos valde distantes, acutangulares (angulum circa 50° exhibentibus), apice obtusatos ibique sursum et antrorsum leviter inflexos exeunte; his dentibus excisura apertangulari in imo fundo rotundato-sinuata, plus quam duplo latiore quam profundiore, diametro tibiarum tamen nonnihil profundiore separatis; marginibus exterioribus processuum dentiformium distinctissime sinuatis.

♀. Segmento ventrali septimo vero distincte lateraliter compresso, transversaliterque valde convexo, medio subtectiformi, processu igitur postico subangulari. Valvulis vaginalibus a latere visis postice oblique sursum et antrorsum retruncatis, prope marginem inferiorem angulum obsoletissimum subrectum, late derotundatum efficientibus.

Long. corp., 11 1/2-12 1/2 mill.; lat. hum., 4-4 1/2; lat. max. abd., 4 1/4-4 3/4 mill.

Nova Guinea (Friedrich Wilhemshafen, leg. Biro, *Mus. Nation. Hungar.*).

A *Sc. inermi* Stål, specie mihi incognita, differt antennarum articulo quarto nigro, pedibus obscure coloratis, lateribus frontis lutei-vittatis aliisque notis.

Sc. diminutus Horvath.

(Fig. 4).

Species *Sc. Horvathi* forma, colorum dispositione habituque toto manifeste affinis; differt magnitudine distinctissime minore, antennis proportionaliter brevioribus et obscurioribus, articulo primo capite subbreviore, articulo quarto apicem versus distinctius incrassato luteo-albo, parte *plus quam tertia vel fere dimidia* basali nigra, imo apice levissime infuscato; membranæ venis plerumque magis numerosis et areolas plerumque nonnulas exhibentibus, rostri articulo basali picescenti vel piceo tibiisque supra obsoletius sulcatis.

♂. Segmento genitali (Fig. 4) in processus duos dentiformes juxtapositos acutangulares (angulum circa 60 graduum efficientes), apice haud obtusatos, excisura distincte acutangulari (circa 45-50 graduum) separatos exeunte. Hac excisura profunditate sua haud latiore vel paulo angustiore, et tibiarum diametro distincte paulo profundiore; marginibus exterioribus processuum dentiformium levissime rotundatis.

♀. Segmento ventrali septimo vero lateraliter distincte haud compresso, nec subtectiformi; dilatatione igitur postica latissime rotundata atque subobsoleta. Valvulis vulvariis a latere visis postice subsemicirculariter rotundatis medioque latissimis.

Long. corp., 9 1/2-10 1/2; lat., 3 1/2-3 3/4 mill.

Thursday Island (leg. Semon; specimina typica examinare benigne permisit D. Horvath (1).

Colpura Bergr.

SYNOPSIS SPECIERUM MIHI COGNITARUM.

a. Genis dentibus acutangularibus, extrorsum prominentibus et capite a supero viso distinctissimis armatis (fig. 1). Pronoto simpliciter trapezoideo, marginibus lateralibus rectis vel fere rectis; humeris latissime rotundatis; disco pronoti impressione distinctiore transversali destituto, plerumque sat convexo. Insecta majuscula atque robusta, obscure atque modeste colorata. (*Colpura* s. str.).

(1) Specimina nonnulla, quæ examinavi, ex insulis Key reportata ab hac specie haud videntur nisi lituris lutescentibus pronoti plus minusve obsoletis, fronte (nec tylo) vitta mediana flavescenti destituto, membranæ venis nonnihil paucioribus magisque regularibus staturaque feminæ paulo latiore. Antennis eadem brevitate ac in speciminibus typicis articulisque præsertim quarto eodem modo coloratis.
Key insulae (ex copiis D. Staudinger et Bang-Haas. coll. mea).

b. Tylo apice dente distincto, segmento genitali maris spina acutissima armatis. *C. fascipes* Walk.
bb. Tylo segmentoque genitali maris inermibus.
c. Corpore subovali; statura nonnihil minore. *C. afflicta* Walk.
cc. Corpore elongato; statura majore.
C. luteifusula m., *C. nigrifusula* m., *C. obscura* Dall.
aa. Genis dentibus acuminatis acutangularibus extrorsum prominentibus destitutis.
d. Genis dentibus rectangularibus vel apertangularibus (interdum apice obtusatis et subobsoletis), magis antrorsum quam extrorsum vergentibus munitis (fig. 2). Angulis apicalibus segmenti abdominalis sexti veri in femina distinctissime libere prominentibus (in mare leviter tantum prominulis). Pronoto plus minusve distincte campanuliformi; humeris angulariter subprominentibus apice anguli rotundato. Rostro brevi; antennis gracilibus. *Eücolpura* n. subgen.
e. Membrana ochracea vel fusco-ochracea; angulo interiore basique tota usque ad venam transversalem nigro-piceis vel nigris. Femoribus lutescentibus, nigro-punctulatis.
C. speculatrix m., *C. scrutatrix* n. spec.
ee. Membrana grisea; angulo interiore basique concoloribus. Marginibus pronoti postero-lateralibus pone angulum ipsum humeralem distincte incisulis. Dente genarum apice obtusato atque obsoletiusculo. Femoribus basi excepta nigris.
C. moesta Walk. Bred.
dd. Genis omnino inermibus. Angulis apicalibus segmenti abdominalis septimi tantum (nec sexti) in femina libere prominentibus.
f. Corpore pilulis adpressis squamiformibus coloratis vestito, haud distincte villoso.
g. Plica segmenti ventralis septimi in femina lata, valde apertangulari, medium segmenti raro nonnihil superante. Capite modice vel haud elongato.
h. Capite lato, supra omnino plano atque depresso frontisque disco oculis haud altiore; ante oculos usque ad scrobes antennales distincte angustato. Corio apice macula nigerrima denudata ornato. *Caracolpura* n. subgen.
C. planiceps m.
hh. Capite inter oculos mediocriter lato, distincte convexo; ante oculos nunquam distincte angustato. Corio macula nigra destituto.
i. Femoribus luteis, guttis nigris seriatim ordinatis notatis, apicem versus subtus spinis paucis distinctis armatis. Pronoto ante medium distinctissime transversaliter impresso; marginibus

lateralibus distincte subinciso-sinuatis, pone sinum rectis, ante sinum rotundatis. *Sphinctocolpura* n. subgen.

C. guttatipes m. *C. roratipes* m.

ii. Femoribus (basibus exceptis) nigris, inermibus vel raro spinulis armatis. Pronoto impressione transversali nulla vel obsoleta instructo; marginibus lateralibus rectis vel obsoletissime sinuatis. *Microcolpura* n. subgen.

h. Tibiis haud annulatis. Capite breviore, Membrana vel tota nigro-fusca vel disco medio macula ochraceo-lutea notata.

C. imbellis n. spec., *C. inermicollis* n. spec., *C. tuberculicollis* n. spec., *C. angulicollis* n. spec.

hh. Tibiis luteo-annulatis. Capite sat elongato. Membrana ochracea vel fusco-ochracea, angulo basali interiore basique tota usque ad venam transversam nigro-piceis vel nigris.

C. armillata n. spec.

gg. Plica segmenti ventralis septima in femina longa, distincte acutangulari, apicem segmenti subattingente (fig. 10). Capite elongato, *Stenocolpura* n. subgen.

C. stenocephalus n. spec., *C. stenocephaloides* n. spec.

ff. Corpore villoso. Rostro longissimo. Pronoti parte postica vitta mediana lutescenti ornata. Membrana tota læte lutea, angulum apicalem corii extus distinctissime amplectente.

Trichocolpura n. subgen.

C. Schultheissi n. spec.

C. afflicta Walk. Breddin.

Lybas afflictus Walker, *Cat. Het.*, IV. p. 151.

Ad hanc speciem Walkerianam, licet non sine aliquo dubio, refero speciem majusculam in insula Java, ut videtur, haud raram.

Habitu capitisque et pronoti structura cum *Colpuris* ex affinitate *C. obscuræ* Dall. congruens, differt statura multo breviore et proportionaliter latiore. Capite latitudine sua cum oculis æquilongo, pronoto fere duplo breviore. Pronoto mediocriter convexo, ante medium haud vel vix transversaliter depressiusculo, latitudine sua humerali distincte breviore (2:3), trapezoideo; humeris rotundatis haud prominentibus; marginibus antero-lateralibus fere omnino rectis; ruga marginali obtusa, sursum haud reflexa nec a supero distinguenda, antice in angulum subrectum, rotundatum obsolete prominula. Hemelytra apicem abdominis subattingentia; abdomine circa medium pronoto distinctissime latiore. Antennis corpore distincte brevioribus; articulo

secundo omnium longissimo, articulo primo capite paulo longiore et cum articulo tertio fere æquilongo, articulo quarto graciliter fusiformi et tertio paululo breviore. Rostro coxas posticas non multo superante vel fere apicem segmenti ventralis tertii veri attingente ; articulis tribus basalibus subæquilongis, quarto ceteris nonnihil breviore. Femoribus subtus granulis paucis seriatis setiferis armatis.

Nigro-fusca, opaca, punctis flavido-griseis dense notata pilisque adpressis squamiformibus albo-luteis supra subtusque vestita. Vittula utrinque capitis superioris oculum tangente, apice scutelli, macula minuscula corii ante medium suturæ membranalis posita, fasciolis sat angustis apicalibus segmentorum connexivalium supra subtusque, callulo anteriore ostiolorum, limbo apicali acetabulorum, basi trochanterum, lineis femorum binis (altera inferiore, altera superiore), saltem basin versus distinctis, in femoribus posticis præterea linea angusta exteriore (lineæ superiori valde vicina) et nonnunquam etiam costa (hac tamen obsolete) *flavo-luteis*. Membrana dilute atque sordide ochracea, venis fuscis. Articulo antennarum quarto (basi excepta) tomento pilisque lutescentibus vestito.

♂. Parte apicali segmenti genitalis haud vel vix sursum producta, parum angustata, tum late subsinuato-truncata ibique etiam sat anguste retrorsum reflexa.

♀. Segmento ventrali septimo vero circa medium quam latera versus vix breviore ; angulis fissuralibus (i. e. fissuram includentibus); plica medium segmenti attingente, apertangulari.

Long. corp., 13 1/2-14 1/2 mill. ; lat. hum., 4 1/2-4 2/3 mill. ; lat. max. abd., 5-5 2/3 mill.

Java merid. et occident. (Sukabumi, 2,000 pedes, leg. Fruhstorfer, coll. mea) ; Java (leg. Xantus, *Mus. Nat. Hungar.*). (Specimina nonnulla coll. meæ ex insulis *Key* reportata feminina ad hanc eamdem speciem pertinere videntur).

C. **luteifusula** n. spec.

(Fig. 1.)

Corpore elongato, in femina quam in mare nonnihil latiore. Capite sat longo (latitudine frontis cum oculis nonnihil latiore), pronoto tamen multo breviore (2 : 3 vel 3 : 5) ; tylo denticulo nisi obsoletissimo haud armatis. Pronoto modice convexo, ante medium haud vel vix transversaliter depressiusculo, quam latitudine hume-

rali vix breviore (5 : 6), sat graciliter antrorsum angustato atque trapezoideo; margine postico supra scutelli basin truncato; humeris rotundatis haud prominentibus; marginibus antero-lateralibus fere rectis, vel potius paulo ante medium obsolete lateque sinuatis, antice rotundatulis; ruga marginali obtusa, sursum haud reflexa nec a supero distinguenda, antice inermi. Hemelytris clausis apicem abdominis subattingentibus iisque non multo angustioribus. Abdomine latitudinem humeralem utrinque parum superante. Antennis corpore nonnihil brevioribus; articulo primo tertio vix breviore, hoc secundo distincte minore (3 : 4) et articulo quarto tertio distinctissime (2 : 3 vel 3 : 5) breviore. Rostro segmenti ventralis quinti veri basin attingente; articulis 1-3 subæquilongis, quarto ceteris paulo breviore. Femoribus subtus granulis acutis setiferis biseriatis armatis, granulo extremo subapicali subspinuliformi.

Nigro-fusca, opaca, punctis flavido-griseis dense notata pilisque adpressis squamiformibus albo-luteis vestita; hemelytris plus minusve picescentibus. Scutelli apice, corii macula punctiformi prope medium suturæ membranalis posita, fasciolis haud latis apicalibus segmentorum connexivalium supra subtusque, callulo anteriore apparatus evaporativi, trochanteribus basin versus, femorum linea superiore saltem basi distincta, articulorum antennalium 1-3 imis basibus articuloque quarto (parte vix sexta basali glabriuscula excepta) *luteis vel luteo-albis*; hoc articulo tomento pilisque albidis vestito, apicem versus leviter grisescenti; basi articuli quarti articuloque primo nigro-fuscis; articulis secundo tertioque plus minusve sordide ferrugineis. Rostri articulo quarto ferrugineo-flavo. Tibiis apicem versus cum tarsis piceo-brunneis. Membrana fusco-ochracea; venis griseo-fuscis, basalibus concoloribus. Dorso abdominis vel omnino nigro vel piceo-rubro, latera versus obscuriore.

♂. Segmento genitali convexo, distincte oblique sursum producto, parte apicali omnino integra, valde angustata et apice sat graciliter rotundata; hoc apice leviter retrorsum reflexo.

♀. Segmento ventrali septimo vero circa medium quam latera versus vix breviore; fissura brevi, angulis fissuralibus (1) apice rotundato-obtusatulis. Plica medium segmenti distincte superante, apice sat late rotundato obtusato; marginibus lateralibus sinuatis; limbo plicæ anguste flavo.

Long. corp., 16 (♂)-19 1/2 (♀); lat. hum., 4 3/4 (♂)-5 1/2 (♀); lat. max. abd., 5 (♂)-5 3/4 mill. (♀).

(1) « Angulos fissurales » dico angulos fissuram utrinque includentes.

Sumatra septentr. atque orient. (Tebbing-tinggi mens. februario et septembri, leg. Schultheiss ; coll. olim Schultheissiana nunc mea).

C. nigrifusula n. sp.

C. luteifusulæ valde affinis et simillima, differt tantum articulo antennarum quarto toto nigro-fusco segmentoque genitali maris aliter formato.

Hemelytris in utroque sexu completis apicemque abdominis subattingentibus ; abdomine humeris haud ita multo latiore.

♂. Segmento genitali convexo, brevissime oblique sursum producto, marginibus apicalibus subrectis valdeque convergentibus, apice medio subito sinuato-truncato ; mox ante apicem medio transversaliter impresso margineque apicali leviter retrorsum reflexiusculo.

♀. Segmento septimo vero ventrali ut in *C. luteifusula* formato, plica tamen distincte angulari nec nisi imo apice derotundata.

Long. corp., 17 1/2-20 1/2 mill. ; lat. hum., 4 3/4-5 3/4 ; lat. max. abd., 5 1/2-6 2/3 mill.

Banguey insula, prope Borneo (coll. *Mus. Nat. Hungar.* et mea), Borneo (Baram fluvius, ♀ leg. Kükenthal. *Mus. Francofurt.*).

C. obscura Dall. Breddin.

Ad hanc speciem ex insula Java descriptam refero, quamquam non sine aliquo dubio, specimina javana antennarum articulo quarto nigro-fusco prædita. Secundum diagnosin auctoris species et connexivo et apice scutelli concoloribus instructa ; maculis apicalibus segmentorum connexivalium in speciminibus meis re vera quam in speciebus duabus præcedentibus multo obsoletioribus vel fere deficientibus, apice scutelli tamen semper lutescenti (in specimine typico Dallasi forte acu læso ?).

Species duabus præcedentibus valde affinis et simillima, præsertim *C. nigrifusulae*, cum qua colore articuli quarti antennarum congruit ; differt ab hac abdomine (in femina) proportionaliter latiore angulosque humerales distinctissime superante, pronoti parte tota antehumerali distincte plana, antrorsum decliva, ruga marginali distinctiore, levissime reflexiuscula et a supero subdistinguenda ; hemelytris abbreviatis, mox pone basin vel ante apicem segmenti abdominalis septimi veri decurtatis ; membrana tamen completa.

Feminas tantum examinare potui ; maris hemelytris verisimiliter completis.

♀. Ventre apicem versus incrassato. Angulis fissuralibus segmenti ventralis septimi veri rotundatulis; plica distincte apertangulari, apice anguli nonnihil obtusato.

Long. corp., 19-20 mill.; lat. hum., 5 2/5; lat. max. abd., 7 3/4 mill.

Java orient. (montes Tengger, leg. Fruhstorfer coll. mea).

C. **speculatrix** Breddin.

(Fig. 2.)

Genis dente apertangulari vel subrectangulari a supero distinguendo armatis. Specimen masculinum sumatranum a me olim ad hanc speciem borneensem relatum (*Kükenthal*, Reiseergebnisse, vol. II, Hemiptera), quamquam speciminibus typicis valde similis, tamen ad aliam speciem novam pertinere potest.

C. **scrutatrix** n. sp.

Ex affinitate *C. speculatricis* Bredd., corporis forma, capitis et antennarum proportionibus, rostri brevitate, membranæ signatura pedibusque sordide lutescentibus fusco-punctulatis cum illa specie congruens. Differt, præter formam segmenti genitalis masculini omnino divergentem, corpore angustiore et debiliore, genarum dente breviore et obtusiore, pronoto subcampanuliformi, circa medium leviter sinuato, ante sinum rotundatulo, pone sinum subrecto vel humerum versus levissime dilatato; ruga marginali distincta, antice quam postice paulo magis elevata, antice in apiculum minutissimum apertangularem acuminatum prominulo; pronoto toto subplano, nonnihil ante medium transversaliter distincte et percurrenter depresso, partibus anteriore et posteriore in longitudinem leviter convexiusculis, linea mediana subelevata; humeris subapertangularibus, at valde derotundatis, haud (vel levissime) prominulis; coloribus corporis superioris nec non pedum paulo dilutioribus, antennis quoque (articulo quarto maxima parte luteo excepto) sordide ferrugineis; membrana pulchre ochraceo-lutea, apicem versus cum venis fere totis leviter infuscata, angulo lato interiore basique usque ad venam subbasalem transversalem nigropiceis; maculis luteis connexivi multo longioribus quam latioribus, majorem partem apicalem segmentorum occupantibus; rostro medium segmenti ventralis tertii veri haud attingente.

♂. Segmento genitali sat convexo, oblique sursum in duos lobos haud latos apiceque obtusatos, sat distantes producto; his lobis excisura mediocri diametroque tibiarum posticarum haud profundiore, leviter apertangulari vel fere rectangulari divisis, marginibus apicalibus lateralibus processus distincte sinuatis. Versus apicem segmenti impressio mediana lata fere obtrapezoidea marginem ipsum apicalem attingens invenitur.

Long. corp., 13 1/2 mill.; lat. hum., 4; lat. max. abd., 3 2/3 mill.

Banguey insula (prope Borneo, coll. mea).

C. moesta Walk. Breddin.

Lybas moestus Walker, *Cat. Het.*, *IV*, p. 152.

Corpore elongato, etiam in femina per maximam partem æquilato. Capite latitudini frontis cum oculis æquilongo et pronoto multo breviore (3: 5). Pronoto sexangulari, parte antehumerali decliva fere plana, impressione partem cicatricalem retrorsum terminante parum profunda; humeris distincte nonnihil prominulis, subangularibus at apice rotundatis; marginibus postero-lateraliqus pone hanc angulum humeralem incisulis; marginibus anterolateralibus circa medium late sinuatis, ante medium iterum leviter rotundatis; ruga marginali sat elevata, leviter sursum reflexa et a supero subdistinguenda, antice haud vel quam levissime et obtusissime prominula; margine postico supra scutelli basin truncato. Hemelytris apicem abdominis subattingentibus. Abdomine fere æquilato, hemelytra clausa utrinque parum superante; angulo apicali segmenti sexti veri libero, rectangulariter prominente. Antennis valde gracilibus, corpore nonnihil brevioribus; articulo primo capite multo longiore (3 : 2); articulo tertio secundo nonnihil breviore (3 : 4) primoque paulo longiore; quarto tertio multo breviore (3: 5). Rostro basin segmenti ventralis tertii veri vix attingente; articulis tribus apicalibus deinceps longitudine paulo decrescentibus. Femoribus subtus granulis acutis paucis, apice utrinque spinula paulo majore armatis.

Nigro-fusca, griseo-induta, punctis cinereo-griseis pilulisque adpressis squamiformibus grisescentibus vestita. Venis corii et clavi, signis quibusdam cicatricalibus pronoti, vel etiam ejusdem linea mediana posteriore denudatis, nigris. Articuli antennarum quarti partibus quintis quatuor apicalibus, apice scutelli, puncto minuto ac vix perceptibili corii prope medium suturae membranalis posito, vittulis apicalibus segmentorum connexivalium (segmen-

tis apicali et basalibus exceptis) supra subtusque, callulo anteriore apparatus evaporativi trochanteribusque saltem basi *luteis*. Tibiis apicem versus cum tarsis, rostri articulo apicali antennarumque articulo tertio cum basi quarti picescentibus. Membrana sordide ochracea, venis (basalibus exceptis) fuscescentibus.

♂. latet.

♀. Segmento ventrali septimo vere medio quam latera versus haud breviore; angulis fissuralibus apice levissime obtusatis; plica medium segmenti attingente apertangulari, apice distincto.

Long. corp., 14 1/2 mill.; lat. hum., 4 3/5; lat. max. abd, 4 2/3 mill.

Java occident. (Sukabumi, 2,000 pedes, leg. Fruhstorfer, coll. mea).

C. imbellis n. sp.

(Fig. 5).

Pronoto mediocriter convexo et antrorsum sat declivo, pone cicatrices depressionem transversalem obsoletissimam exhibente; marginibus antero-lateralibus subrectis, ante medium quam levissime sinuatis, ante sinum leviter rotundatis atque angustatis; ruga marginali obtusa, a supero nusquam distinguenda, antice evanescente et omnino inermi; humeris rotundatis, haud prominentibus. Antennis mediocribus; articulo secundo omnium multum longissimo: tertio primo nonnihil longiore; quarto primo distincte breviore. Femoribus subtus in utroque sexu spinulis armatis. Rostro segmenti ventralis quarti veri medium haud vel vix attingente. Ventre obsoletissime sulcato.

Nigro-fusca, opaca, setulis aurescentibus sat dense vestita. Scutelli apice, trochanteribus cum basi ima femorum, rostri articulo primo et raro etiam maculula corii subapicali *flavescentibus*; rostri articulis tribus apicalibus et tarsis plus minus dilute *piceis*. Connexivo unicolore. Antennarum articulo quarto pilosulo (basi glabra nigra excepta) læte luteo. Membrana nigra, disco in speciminibus, quæ examinavi, læte ochraceo-luteo. Callulis apicalibus apparatus evaporativi nigris vel piceis.

Long. corp., 10 mill.; lat. hum., 3 1/2-3 3/4 mill.

♂. Segmento genitali (fig. 5) apice nonnihil sursum producto, medio sat profunde bisinuatulo, sinulis subobliquis contiguis, apiculo subrectangulari separatis; margine apicali utrinque extra sinulos illos leviter sinuato.

Malacca (Perak, coll. mea ex copiis D. Staudinger et Bang-Haas; coll. *Mus. Nation. Hungar.*).

C. inermicollis n. sp.

(Fig. 6).

C. imbelli et *C. tuberculicolli* magnitudine, forma corporis et præsertim capitis coloribusque affinis, quamquam paulo obscurior; differt ab ambabus femoribus subtus in utroque sexu inermibus, setis tantum nonnullis longioribus suberectis instructis. Facile distinguitur a *C. tuberculicolli* congruitque cum *C. imbelli* structura pronoti antice omnino inermi, differt tamen ab hac segmento genitali maris omnino aliter exciso corioque macula distinctissima albido-lutea notato. Antennarum articulo tertio primo æquilongo. Rostro medium segmenti quarti veri ventralis subsuperante. Corpore superiore et inferiore fere nigro, maculis igitur glanduliferis ventris obsoletis. Fasciolis apicalibus segmentorum connexivalium nunc obsoletissimis et fere nullis, nunc distinctissimis. Callulis apicalibus apparatus evaporativi nigris. Antennarum articulo quarto (basi excepta), rostro, trochanteribus femorumque basi ferruginescenti-flavis; tibiis apicem versus tarsisque vel dilute picescentibus, vel flavis. Membrana sordidissime ochracea vel ochraceo-fusca.

♂. Segmento genitali (fig. 6) sursum nonnihil rotundato-producto, ante apicem subdepresso; margine apicali medio excisuram unicam parvam transversaliter ovalem, fere ut in *C. tuberculicolli* formatam at multo minorem, exhibente.

Long. corp., 9 1/4-10 mill.; lat. hum., 3 1/5-3 3/5 mill.

Ins. Banguey (prope Borneo; coll. mea ex copiis D. Staudinger et Bang-Haas; coll. *Mus. Nation. Hungar.*).

C. tuberculicollis n. sp.

(Fig. 7).

C. imbelli magnitudine, forma corporis coloribusque valde affinis; differt marginibus antero-lateralibus etiam antice rectis, tuberculo distinctissimo conico antrorsum et nonnihil extrorsum vergente armatis, his iisdem marginibus superne visis leviter elevatulis, callulis apicalibus apparatus evaporativi fasciolisque apicalibus segmentorum connexivalium flavis, macula lutea punctiformi subapicali corii distinctissima segmentoque genitali masculino omnino aliter formato. Membrana fusca vel disco vix fusco-ochracea.

♂. Margine apicali segmenti genitalis (fig. 7.) sursum nonnihil

rotundato-producto, medio excisura unica minuscula at profunda atque dictinctissima, transversaliter ovali, haud vel quam obsoletissime bipartita, apice nonnihil angustata ibique partem vix quintam marginis apicalis segmenti occupante.

Long. corp., 9 1/2-10 mill.; lat. hum., 3 1/2 mill.

Malacca (Perak, coll. mea ex copiis D. Staudinger et Bang-Haas); Sumatra (coll. mea leg. Schultheiss) et Java.

C. angulicollis n. sp.

(Fig. 8).

C. imbelli et *C. tuberculicolli* valde similis, paulo obscurior; differt ab illa corpore paulo angustiore, capite anteoculari nonnihil graciliore atque angustiore, marginibus pronoti antero-lateralibus ante medium quam levissime latissimeque sinuatis, ante sinum rectissímis leviterque reflexiusculis, antice pone oculos distincte in angulum acutum vel subrectum exeuntibus, pronoto pone depressionem obsoletam transversalem minus convexo depressioneque longitudinali mediana sat distincta prædito, margine basali ante scutelli basin late sinuato, membrana nonnihil densius venosa, venis sæpius furcatis et interdum iterum conjunctis, rostro segmenti ventralis sexti veri basin attingente vel subattingente segmentoque genitali masculino omnino aliter formato. Membrana in omnibus, quæ examinavi, speciminibus nigra. Corii macula punctiformi subapicali distincta, callulis apicalibus apparatus evaporativi fasciolisque apicalibus segmentorum connexivalium (quamquam his obsoletiusculis angustisque) flavidis.

♂. Segmento genitali (fig. 8) apice distinctissime bisinuato; sinubus apertissimis et sat latis, maximam partem marginis apicalis segmenti occupantibus, medio contiguis processuque breviusculo apertangulari separatis.

Long. corp, 10 1/2 mill.; lat. hum., 3 1/2 mill.

Malacca (Perak, coll. mea et coll. *Mus. Nation. Hungar.*).

C. armillata n. sp.

(Fig. 9).

Pronoto sat declivo, parum convexo; marginibus antero-lateralibus ante medium obsolete latissimeque sinuatis, a supero visis reflexiusculis, ante sinum subdilatatis, calloso-elevatis et fere rectis,

antrorsum in angulum fere rectum distincte prominentibus. Antennarum articulis tertio primoque æquilongis. Rostro segmenti ventralis quarti veri apicem haud attingente; sulco ventrali mediocri usque ad segmenti quinti medium extenso.

Nigro-fusca, punctis grisescentibus sat dense conspersa. Scutelli apice, corii macalula typica subapicali, capitis tuberculo postoculari supra, rotulæ collaris macula utrinque sublaterali, rugæ marginalis pronoti parte antica callosa, articuli antennalis tertii (et nonnunquam etiam secundi) ima basi, articulo antennarum quarto (parte brevi basali excepta), fasciolis apicalibus segmentorum connexivalium supra subtusque, callulis apicalibus apparatus evaporativi, rostro, trochanteribus, femorum omnium parte basali, femorum posticorum præterea nonnunquam annulo mediano (plus minusve cum colore baseos confluente) tibiarumque annulis binis sat latis *dilute luteis vel subferrugineo-flavis*. Tarsis flavescentibus, articulis apice infuscatis. Membrana subsordide ochraceolutea; basi et margine angusto interiore nigro-fuscescentibus.

♂. Segmenti genitalis (fig. 9) margine apicali anguste et profunde quadri-exciso; incisionibus intermediis subobliquis processulo trapezoideo sejunctis; incisionibus exterioribus ab interioribus processulis angustis apice introrsum uncinatis separatis.

♀. Segmento ventrali sexto versus medium quam versus latera distincte breviore, medio usque ad plicæ apicem fisso, angulis lateralibus fissuræ apice nonnihil obtusatulis; plica distinctissime apertangulari.

Long. corp. 11 1/4-12 1/2 mill.; lat. hum., 3 1/2-4 mill. (1).

Perak, Malacca (coll. mea).

C. stenocephala n. sp.

(Fig. 10).

Capite valde elongato; sine rotula collari quam latitudine capitis cum oculis fere duplo latiore; parte præsertim anteoculari quam in speciebus mihi cognitis multo gracilius producta, spatio inter oculos et scrobes antennales sito oculorum diametro longitudinali distinctissime longiore (3 : 2), illo eodem spatio et parte ante scro-

A *C. annulipede* Dall. Stål mihi incognita, cum qua tibiis biannulatis congruit, certissime differt ruga marginali pronoti antice « in *angulum* » nec « in *dentem* acutiusculum, nonnihil extrorsum vergentem » producta eademque ruga antice distinctissime lutea. Hac eadem nota (et forte membranæ colore) differre videtur etiam a *C. varipede* Westw., specie ænigmatica secundumque descriptionem nimis concisam atque subinanem vix eruenda.

bes antennales prominente subæquilongis; oculis a basi capitis sat longe remotis. Pronoto distinctissime declivo, antrorsum graciliter angustato, inter humeros rotundatos quam antice duplo latiore; marginibus lateralibus fere rectis; ruga marginali subobsoleta, a supero nusquam distinguenda, antice angulum apertum et valde derotundatum, obsoletissimum vel vix ullum efficiente; pronoto supra ante medium leniter in transversum depresso, pone impressionem distincte convexo. Antennis sat gracilibus; articulo tertio primo nonnihil breviore; illo quarto nonnihil longiore. Femoribus apicem versus subtus spinula unica vel duabus armatulis. Ventre distinctissime et usque ad basin segmenti septimi veri sulcato. Rostro longissimo, segmentum sextum ventralem attingente.

Corpore *nigro-fusco*, punctis flavido-griseis dense consperso. Scutelli apice subtuberculato, macula typica punctiformi subapicali corii, maculis subtriangularibus vel subquadrangularibus connexivi apices segmentorum supra subtusque occupantibus (fere æque longis ac latis), callulis apicalibus apparatus evaporativi, coxarum margine apicali summo, trochanteribus, femorum plerumque basi, annulo postmediano tibiarum (in nullo specimine, quod examinavi, deficiente) et nonnunquam earundem etiam annulo antemediano obsoletiore, rostro, articuli antennalis tertii (et sæpe etiam secundi) ima basi articuloque antennarum quarto sericeo pilosulo (parte brevi basali excepta) *luteo-albis vel subferrugineseenti-flavis*; hujus apice leviter infuscatulo. Tarsis picescentibus. Membrana (in omnibus quæ examinavi speciminibus) læte ochraceo-lutea; limbo exteriore et apicali plus minus late infuscatis; limbo toto basali ante venam transversalem sito et interiore nigris.

♂. Segmento genitali apice rotundato, integro.

♀. Segmento septimo ventrali (fig. 10) versus medium quam lateribus haud breviore; medio usque ad apicem plicæ acutangulariter exciso (nec fisso), angulis lateralibus excisuræ omnino rotundato-deletis. Plica distinctissime acutangulari (angulum circa 60 graduum exhibente).

Long. corp., 13 1/2-14 mill.; lat. hum., 4 mill.

Malacca (Perak, coll. mea ex copiis D. Staudinger et Bang-Haas).

Corporis capitisque forma generali hæc species et *C. stenocephaloides* m. *Stenocephalorum* nostrorum sat admonent.

C. stenocephaloides n. sp.

G. stenocephalo statura, coloribus principalibus, rostri longitudine et præsertim forma capitis persimilis cumque ea facile confundenda; differt tamen pronoti marginibus antero-lateralibus a supero

visis distinctissime reflexis, antice in angulum rectum apice vix obtusatulum distinctissime productis, parte pronoti pone depressionem transversalem sita multo minus convexa vel fere plana, callulis apicalibus apparatus evaporativi nigris, segmentis connexivalibus supra subtusque fasciolis apicalibus angustis subtus omnino lineiformibus notatis. Tibiis in speciminibus, quæ vidi, unicoloribus ; membrana tota nigra.

♂. latet.

♀. Segmento ventrali sexto usque ad apicem plicæ distincte fisso (nec acutangulariter emarginato) ; angulis fissularibus rectis, apice haud nisi obsolete obtusatis ; plica fere rectangulari.

Long. corp., 13 1/2 mill. ; lat. hum., 3 3/4 mill.

Malacca : Perak (coll. mea).

C. **Schultheissi** n. sp.

♂. Corpore toto supra fere horizontaliter plano, dense griseo-villoso. Capite subporrecto, quam latitudine frontis cum oculis distinctissime longiore et pronoto non multo breviore (4 : 5) ; oculis vix mediocribus, a basi capitis non multum remotis ; genis inermibus. Pronoto sat late trapezoideo, longitudine sua distincte latiore (4 : 3), antrorsum vix declivo, nonnihil ante medium depressionem transversam percurrentem leviusculam exhibente, toto subplano (pone depressionem plano), ante eandem longitrorsum leviter convexo ; humeris haud prominulis, sat late rotundatis ; marginibus antero-lateralibus subrectis (paulo ante medium levissime sinuatis, pone sinum rectis, ante sinum obsolete rotundatulis) ; ruga marginali distincte elevata (antice paululo magis quam postice, sed inermi), leviter sursum reflexa et a supero distinguenda ; margine postico late truncato. Hemelytris completis, apicem abdominis subattingentibus ; angulo apicali corii extus membrana distinctissime incluso. Abdomine elongato-ovali, circa apicem segmenti quinti veri latissimo ibique hemelytra clausa utrinque parum superante ; segmentorum angulis apicalibus haud prominentibus. Antennis corpore multo brevioribus : articulo primo quam capite sublongiore et articulo tertio nonnihil breviore ; articulo quarto omnium distinctissime brevissimo et articulo tertio multo breviore (fere = 2 : 3). Bucculis subsemiorbicularibus, at dente acutissimo armatis. Rostro gracillimo, basin segmenti ventralis ultimi superante ; articulo quarto omnium articulorum longissimo, primo brevissimo. Pedibus inermibus, cum antennis villosis.

Nigra, opaca ; grisescenti-induta punctisque cinereis in pronoto

et pectore consita. Pronoti ruga marginali, limbo postico sat lato (hoc fusco-punctato et circa medium marginis ipsius postici fuscescenti), vittaque mediana partis postcicatricalis, apice scutelli, corii costa basin versus lineaque diffusa obliqua, rimulam intus sequente eamque haud superante nec non macula punctiformi prope medium suturæ membranalis posita *ochraceo-luteis*. Capitis tuberculo postoculari supra, maculis angulos apicales segmentorum connexivalium occupantibus, supra subquadratis, subtus triangularibus, callulis summis apparatus evaporativi, angulo postico metastethii, rostro toto, femoribus, tibiarum annulis duobus (altero subbasali, altero postmediano), articulorum antennalium secundi tertiique basibus sat late articulique quarti partibus tribus quatuor apicalibus *luteis vel albo-luteis*. Femorum apice annuloque postmediano nigris (hoc plus minusve in guttas rotundatas dissoluto, in anticis tamen femoribus cum litura apicali omnino confluente). Tarsis picescentibus. Membrana sat longa læte flavo-lutea; plaga diffusa obliqua usque ad apicem rotundatum perducta dilute infuscata. Dorso abdominis piceo-nigro, latera versus piceo-rubro.

♂. Segmento genitali vix oblique sursum producto, integro, late rotundato, apice medio in angulum apertum subobsoletum prominulo.

Long. corp., 12 1/4 mill.; lat. hum., 3 1/2; lat. max. abd., 4 1/4 mill.

Sumatra sept. atque orient., Tandjong Kasso)leg. Schultheiss; coll. olim Schultheissi, nunc mea).

Species villositate et coloribus inter species mihi cognitas valde insignis.

Tachycolpura n. gen.

Corpore valde elongato, flavo-villoso Capite longissimo, cylindrico, pone oculos quam ante haud, nisi paululo, latiore et basi haud vel vix constricto; tuberculis igitur postocularibus omnino deficientibus oculisque postice liberis. Antennis nonnihil longius ab oculis quam ab apice capitis insertis. Genis inermibus. Bucculis scrobes antennales retrorsum haud superantibus, distincte angularibus. Lateribus pronoti mox ante humeros ipsos in dentem distinctissimum prominentibus. Membrana venis non multis simplicibus instructa. Antennis pedibusque gracillimis, his inermibus; antennarum articulo primo capite multo longiore. Rostro longissimo.

T. penicillata Walk.

Lybas penicillatus Walker, *Cat. Het.*, IV, p. 150.

Capite pronoto non multo breviore (3:4). Pronoto latitudine sua humerali vix breviore, sexangulari; parte pone dentes humerales sita horizontali, postice supra scutelli basin obsolete sinuata; parte antehumerali antrorsum decliva, planiuscula; marginibus antero-lateralibus per maximam partem subrectis, postice versus dentes humerales sensim paulo subsinuato-dilatatis; his dentibus extrorsum et leviter sursum vergentibus, apice obtusatis. Ruga marginali pronoti obsoletiuscula, antice inermi. Hemelytris completis, apicem abdominis subattingentibus. Antennarum articulo secundo omnium distincte longissimo; tertio primoque æquilongis; hoc capite fere duplo (5 : 3) longiore, articulo quarto (in specimine descripto mutilato, sec. diagnosin Walkeri): « dimidio articuli tertii longiore. » Rostro segmenti sexti veri medium subattingente; articulis subæquilongis.

Nigro-fusca, opaca, punctis griseo-flavis conspersa pilisque erectis sordide ferrugineo-flavis villosa. Antennarum articulo quarto (sec. Walker) articulorumque tertii et secundi ima basi, trochanteribus basin versus, callulo anteriore apparatus evaporativi, maculis triangularibus apicalibus segmentorum connexivalium supra subtusque, scutelli imo apice, fascia apicali corii (extus dilatata angulumque totum apicalem occupante) membranaque *ochraceo-luteis*; hujus macula magna angulum interiorem fere totum occupante venisque nigro-fuscis; angulo imo interiore lineaque angusta suturam sequente sordide albidis. Rostro picescenti.

♂. Segmento genitali oblique sursum valde producto, processu rectilineariter valde angustato, apice bidentato, inter dentes angulariter inciso; incisura diametro tibiarum posticarum haud vel vix profundiore, angulum fere sexaginta graduum efficiente. — Long. corp., 17 1/2 mill.; lat. hum., 4 1/2 mill.

Borneo (leg. Xantus, *Mus. Nat. Hungar.*); sec. Walker: Sarawak et Singapore.

EXPLICATION DES FIGURES.

1. *Colpura luteifusula.* Tête.
2. » *speculatrix.* Id.
3. *Sciophirus Horvathi.* Segment génital ♂.
4. » *diminutus.* Id.
5. *Colpura imbellis.* Id.
6. » *inermicollis.* Id.
7. » *tuberculicollis.* Id.
8. » *angulicollis.* Id.
9. » *armillata.* Id.
10. » *stenocephala.* 7° segment ventral ♀.



1



2



3



4



5



6




7



8



9



10